DE

LARYNGITIDE SYPHILITICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

OB SUMMOS IN MEDICINA, CHIRURGICA ARTE
OBSTETRICIA HONORES

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI

DIE XXI MENSIS JUNII ANNI MDCCCLXVI
IN SE COLLATOS

EDIDIT

AUCTOR

DR. BERTHOLD KOERNER,

SAXO - BORUSSUS.

GRYPHIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

VIRIS

HUMANISSIMIS CARISSIMIS DOCTISSIMIS

FRATRIBUS

OPTIME DE SE MERITIS

HERMANNO ET **OTTONI**

BRAUSE

HASCE

PAGELLAS GRATISSIMO ANIMO

D.

AUCTOR.

Auctores quibus in his pagellis usus sum, hi:

1. Morgagni: de sedibus et causis morborum. ep. 22, 28, 44.
2. Dzondi, Neue zuverlässige Heilart der Lustseuche, Halle 1832.
3. Behrends. Syphilidologie. Berlin 1839.
4. Schmidt's Jahrbücher. 1846.
5. Virchow, Prof. Ueber die Natur der constitutionell syphilitischen Affectionen. Berlin 1859.
6. Virchow, Prof. Die Granulationsgeschwülste. 1865. Berlin.
7. Ruehle, Prof. Die Kehlkopfskrankheiten. Berlin 1861.
8. Zeissl, Prof. Dr. H. Lehrbuch der constitutionellen Syphilis. Erlangen 1864.

9. **Michaelis**, Dr. A. C. I. Compendium der Lehre von der Syphilis. Wien 1865.

10. **Hartmann**, Dr. Fr. Compendium der speciell. Pathologie und Therapie. Berlin 1866.

11. **Kohn**, Dr. M. Ueber die Syphilis der Scheimhaut des Mund, Rachen etc. Erlangen 1866.

Respirationem inter physiologicas corporis humani functiones gravissimam, ad sustentandam vitam maxime necessariam esse, nemo profecto sit, qui in dubium devocet; ideo quum haud immerito omnes omnium temporum medici saluti atque incolumitati laryngis maxime prospexerint, morbos respirationi inimicos praeter ceteros oprimere atque exstirpare enisi, eo magis mirandum imaginem hujus morbi usque ad haec tempora leviter tantum adumbratam permanisse: hanc quoque relevasse et ex tenebris eruisse nostrae aetatis disciplinae omnes medicinae locos summa diligentia curaque pervestigantis opus est. Itaque scimus et certissime quidem, innumeros morbos laryngis non, ut quondam opinio erat, idiopathicos esse aut comites sociosque phthisis pulmonalis, sed saepenumero ad alium corporis morbum referendos: dico syphilidem. Qua in re quum praestantissimi viri nostrae aetatis omnem dubitationem nobis sustulerint, tamen pro rei novitate, quippe quae nondum ad finem perducta sit, et quae illi viri doctissimi de hoc morbo sentiunt usuque diuturno ac observatione cognita habent colligere et syphiliticarum laryngis affectionum, quas in

hujus universitatis nosocomio observandi mihi copia fact est, quasque propter suam naturam memorabiles dicer ausim imaginem depingere, operae pretium sit.

Aetiologia.

Si percontamur, quis nam sit ordo secundariarum syphiliticarum affectionum laryngis, infitias ire non possumus, plerumque eos ad posterius aegrotationis tempus pertinere, et si gnave inquirimus, jam longiorem ac gravem aegrotationem cavi oris fauciumque et mucosae narium ostendi posse; et plerumque cicatrices non ita mediocres in his locis, quos diximus (Ruehle, Kehlkopfkrankheiten, 275) inveniuntur. Num autem sequi debeamus Morgagni (epist. XXII, 16) dicentem, aegrotationem laryngis propagatione, quae proficiscatur a faucibus et mucosa narium fieri, an potius certis aliis causis, ita ut affectus laryngis spontanei oriri videantur, hoc non promptum est dijudicatu. (Michaelis Lehre der Syphilis §. 109). Attamen saepenumero est videre, ut larynx sola aegrotet, et ne minime quidem affectio cavi oris fauciumque et mucosae narium inveniri possit, ubi aegrotatio laryngis agmen secundariorum syphiliticorum affectuum non claudit, e contrario initium facit, quum etiam Ruehle teste ulcerationes, formatio cicatricum et letales stenoses bronchiorum adesse possint, pharyngu et larynge ne minima quidem ex parte affecta, quo intelligitur, causas aegrotationem cavi oris fauciumque efficientes sine ulla dubitatione easdem esse, quae aegrotationem laryngis efficiunt. Licet syphilitica laryngitis numquam exoriri possit, nisi individuum jam antea

secundaria syphilide laboraverit, attamen variae aliae causae nominari possunt, quae adventum ejus aut accelerant, aut extrahunt. In prioribus sine dubio sunt syphilitici affectus pharyngis et mucosae narium, quarum secreto delabente mucosa quoque laryngis afficitur. Sed etiam omnes causae laryngi alienae, quae plerumque aegrotationem laryngis adducere solent, reapse multum conferunt ad exortum adhuc in corpore latentis syphilidis. Inprimis hic nominanda est phthisis pulmonum, cum qua per se saepenumero affectio laryngis conjuncta est. Porro typhus, acutaque exanthemata, quae plerumque tota series morborum laryngicorum comitatur. (Michaelis §. 110, Ruehle 13, 14). Apparet omnes has circumstantias accelerando exortui secundariae syphilidis favere, quoniam laryngem aptam faciunt, in qua virus in toto corpore cumulatum, si ita dicere licet, viam, qua egrediatur, inveniat.

Postremo graviditas, et intermissio menstruationis exortui favere dicitur, ut lues, quam apud mulieres in climacteriis demum annis invenimus, saepe cessationi menstruationis tribuatur. (Hartmann Compend.). Sed hae observationes verae, utrum et quatenus, an causae earum in aliis rebus quaerendae sint, in medio reliquendum. Apud mulieres, quod non nulli observasse contendunt, syphiliticas affectiones laryngis crebriores esse quam apud viros, hoc difficile sit probatu, quoniam in viro, quum plures aliae causae, ut vis certorum negotiorum, majorum curarum ac motionum animi, damnosi, mox frigidi, mox humidi aëris, in quo diutius versari coguntur, exortui syphilidis apud mulieres, tum quae

Ruehle observavit, hanc opinionem non confirmare videntur; etiamsi anni LVII et LVIII 11 aet. in nosocomio Pragensi unam et viginti mulieres et ne unum quidem virum affectionibus syphiliticis laryngis correptos tractatos esse constet. (Schmidt's Jahrbücher 65, 44). Denique, si quaerimus, quanto post tempore omissis aliis faventibus causis affectiones laryngis syphiliticae exoriantur experientia docemur, plerumque tres, vel sex septimanas intercidere, et rarissime stadium incubationis plusquam sex menses complecti. (Zeissel, Lehre der Syphilis, Michaelis). Hae varietates, sine dubio constitutione personarum, majori minorive multitudine contagii, jam antecedente therapia explicandae sunt. Quod denique attinet ad doctrinam syphilidis latentis, dicere possumus, semper jam antea, luis imminentis levia signa ab aegroto animadversa affuisse, ut exortus ipse diutius jam exstiterit, qua in re omnes recentiores auctores idem sentiunt.

Anatomia pathologica.

Quod si sine opinione praesumpta contemplamur, quam rationem et viam ineat syphyliticum contagium in corpus translatum, concedendum est primum congestione sanguinis ad mucosas et nimia sanguinis impraegnatione earum conspicuum fieri. (Virchow irritative Vorgaenge.) Omnes syphiliticae affectiones, quae postea nobis occurrunt, a magna congestione, a rubore mucosarum proficiscuntur. Itaque si satis, mature laryngem observare licuit, nihil nisi mediocrem ruborem catarrhalem mucosae reperimus, qui quantum oculis cognosci potest, nihil ab

alio catarrho differt nisi fortasse prurigine et ictibus, quos inter loquendum aegrotus sentit, siccitate et raucitate, crebroque appetitu tussis animadvertitur. (Kohn. Syphilis der Schleimhaeute.) Sed brevi post mucosa purpureum (subcaeruleum) accipit colorem, injectio vasorum valde aucta videtur, chordae vocales leviter tumescere coeperunt, raucitas crescit, itemque prurigo et siccitas oris. Hic status diu consistere potest, larynx etiam cyprium accipere colorem, sed aliud formari non observatur. (Michael. (106)

Post hoc invenimus parvulos, asperos tactu modos, qui eo oriuntur, quod tela submucosa exsudatis impletur, aut quod folliculi cutis auctione et luxuria cellularum levati hanc superant. Hae papulae, quae fuscum habent colorem et rotundam aut cono similem formam, ita oriri et collocatae esse possunt, ut inter singulas spatium relictum sit, neque inter se communicent, aut se findunt et degenerantes in suppurationem transeunt et inter se mixtae communem habent basim, qua figuratione condyloma repraesentant. (Virchow, Granulationsgeschwülste 411). Haec tamen quae modo diximus solum ad superficiem interiorem laryngis et tunicas ligamentorum ary-epiglotticorum, cartilagines Wrisbergianas et Santorinianas pertinent, quum cartilago epiglottica et ligamenta vocalia genuina folliculis in tunica mucosa careant. In his partibus papulosae eminentiae luxurie rarae telae submucosae oriri videntur. Virchow: Hae papulae speciem albentium nodulorum magnitudine grani milii praebent, qui non facile in suppurationem transeunt perque menses aliquot consistere possunt, prout omnino

papulae laryngis altiores ulcerationes non efficiunt. Sed peioris momenti laryngis affectionem habemus quum exsudata in mucosam ipsam aut telam submucosam secernuntur. Congestione, quae inflammationem efficit, ut supra diximus, paullatim infiltratum secernitur. Haec infiltrata syphilitica, si ab ortu explicationem eorum contemplamur, primo nodulum repraesentant, qui si per aliquod tempus exstitit, degenerans plerumque in suppurationem transit aut haud raro, imprimis applicatione medicamentorum resorbetur, quomodo primo fiunt abscessus, qui tegumine perforato justa ulcera formant. Haec parva sunt marginesque dendiculatos et sublimes, quorum basis lardo similis, habent. Sed si rem omnem spectamus, haec ulcera „Zeissel autore", ab reliquis non multum differunt. „Türk" si omni ratione expressa sint non tam rotundas, quam obliquos, saepenumero solidos, sublimes, area inflammata circumdatas margines proprios habere Kohn (p. 138.) adversante, secundum quem lacteum habent colorem, asperamque superficiem, et circumvallantur spissis infiltratis, non a cuniculis suffossis, sed arte affixis, licet interdum mollitis et resolutis, tamquam arrosis lividis marginibus; basis dura, rigida, aspera, non plana, colore lardi, quaeque ulcera ad profusionem sanguinis inclinant. Haec ulcera plerumque altas figunt radices, ut paullatim maximam laryngis partem corripiant et deleant. (Ruehle 275). Maxime epiglottis corripitur, ulcera a superficie aut a margine, quod saepius etiam fieri dicitur, tamquam cuniculos agentes descendunt, ut paullatim epiglottis funditus destruatur, neque quidquam nisi lividus arrosus truncus relinquatur. Hinc ulceratio in propinquas

partes transire solet, ut omnia ligamenta cum chordis vocalibus et spuriis et genuinis corripiantur et necrosi ruinam quoque cartilaginum adducere possunt. Quum haud raro cicatrices formentur, magnaque adsit inclinatio ad corrugationem post decursum, plerumque magnae deformitates ac depravationes cernuntur, imprimis epiglottis imminuta est, coaluit cum proximis organis, aut cavo faucium; saepe facta est distortio et coalitio chordarum; vocalium, coartationes introitus laryngis functionum perturbationes causantes, quae abnormitate loquelae ac respirationis se manifestant, et periculum suffocationis, suffocationem ipsam adducere possunt. Singularis sanatio ulcerum laryngis adducitur formatione cujusdam telae submucosae, quae ob villosam condylomatosam formam a Ruehle luxuria brassicae similis appellata est, quae vero angustatione laryngis dispnoen et suffocationem adducere potest.

Symptomata.

Si in circumstantias commitantes inquirimus, ex quibus laryngitidem syphiliticam adesse concludere possumus, haec generalia syphilidi propria symptomata sunt, tum specialia, quae aegrotatio laryngis secum fert.

Antequam ad specialia symptomata transeamus, si generalia contemplamur, in aegroto aliquid pallidi, obesi anaemici animadvertere licet, quocum interdum anaemicus sanguinis sonitus conjunctus est. Ad haec mox accedunt plus minus quaedam neuralgiae, quae se capitis doloribus, in articulis imprimis extremitatum rarius in trunco manifestant, quaeque imprimis noctu aut subito

temperie aeris mutata augentur. Glandulae cervicales et ulnares tumidae esse solent. Si larynx quoque corripitur, hoc majori minorive raucitate, quam aegroti nihil timentes plerumque a gravi refrictione proficisci opinantur, cognoscitur. Sed morbo crescente crescit raucitas, vox sono caret, saepenumero perfectam aphoniam habemus. Quum autem plerumque praeter raucitatem aegrotatio quoque arcuum palati mollisque palati veniat, impedimenta glutiendi non desunt, quae doloribus, quos aegrotus certis finibus descripto loco sentit, se manifestant. Et quum inprimis epiglottis sedes syphiliticorum ulcerum sit, bolo delabente dolor persistit, et illud certissimum signum se manifestat, quod defectum aut partialem destructionem epiglottidis nobis indicat, si aegrotus in deglutitionis actione molestias habet. Tussis, nisi alias habet causas, plerumque parvi est momenti, rareque per longum tempus manet leviterque incedit, aegroto plerumque non exscreante. In universum incommodam titillationem in larynge invenimus, aegrotum saepius ad secreatum impellentem, ubi aliquid sputi saepe cum striis sanguinis permixti ejicitur. Aegroti in cervice dolorem attritarum partium sentiunt, qui augetur, si larynx imprimitur. At aucta ulceratione sputis praeter illas trias sanguinis, de quibus supra diximus, pus, in quo nonnulli auctores fibrillas elasticas observasse contendunt, admixtum reperimus. Pressione ac attrectatione sedes doloris indicari potest et si digitum admoves, hic locus tumidum, rigidum et fere immobilem se praebet. Attamen omnia haec symptomata non sufficiunt, quam ob rem ocularis inspectio non negligenda est, et laryngoscopiâ denique sine du-

bio ulcerationes, turgores nodique apparebunt, qui antea non animadvertebantur. Crescente morbo, laryngis tumore et inflammatione partium, quae ulcera circumcludunt, facile periculum stenosis laryngis oritur, itaque dispnoen habemus, quae vel in suffocationem transire potest. Haec stenosis aut acutum decursum habet aut paullatim ad perfectionem venit. Si prius accidit, quod plerumque noctu oriri solet, ubi non satis cito medicus advocari potest, maxima ex parte excitus lethalis suffocatione adducitur. Si aegrotatio minus aestuosa est, neque aliae malae res timendae, veluti acuti catarrhi, stenosis plerumque lenta formatione cicatricum se explicat tumque minus difficilis esse solet, imprimis si non perfecta erat; attamen ut in acuta eadem pericula oriuntur, praesertim cum katarrhus accedit, atque timendum, ne aegrotus acido carbonico (suffocatione) absumatur.

Diagnosis.

Diagnosis laryngitidis syphiliticae difficilior, quam ex symptomatis supra descriptis et ex habitu ulcerum ac tumorum videri possit, quoniam ex omnibus his symptomatis etiam in alia mala, ut tuberculosin, lupum diphtheriam concludere fas est. Itaque, si demonstrare volumus, aegrotationem laryngis ex syphilide ortam esse, ante omnia demonstrato opus est, primariam syphilidem antecessisse. Ubi erga alia certa syphilidis perfunctae indicia, cicatrices sanati ulceris venerei, porro ubi una cum aegrotatione laryngis alia signa constitutionalis syphilidis, tumor glandularum cervicis regionisque inguinalis, maculosum aut papulosum exanthema cutis inveniun-

tur, denique si aegrotus ipse, ubi hoc inveniri non potest, confitetur, se jam syphilide laborasse, diagnosis, inprimis si insuper phthisin pulmonalem excludere licet, non ita difficilis est, alioquin cognitio hujus morbi saepe difficillima. Türk, ulcera genuinarum chordarum vocalium plerumque nihil singulare habere et syphilidem constitutionalem ponendam et alia symptomata ejus accidant necesse esse. Omnia enim haec symptomata, quae descripsimus, rubor, tumor, suppuratio follicularum, infiltrata purulenta saepenumero et in vehementibus affectionibus laryngis, quae non sunt syphiliticae, observantur. Sedes igitur ulcerum perspicienda est, quod vero, ut jam commemoravimus, sine speculo omnino fieri non potest.

Tum in tumorem et hyperaemiam partium propinquarum animum advertere debemus, quoniam his ipsis, ut vidimus, certissime phthisis pulmonum tuberculosa et laryngitis syphilitica dijudicantur. Praeter cetera duo alia, quae maximi momenti sunt, adhuc consideranda sunt; magnus dolor, quem aegrotus loco certis finibus circumscripto, sentit, tum celer decursus. Non levis momenti sit, saepe oedema glottidis oriri, quod ipsum subita dispnoë, saepenumero horribili mordo crescente, turgore chordarum vocalium se manifestat. Tum acrior organa cavi thoracis contemplatio non negligenda, quoniam solum, si phthisim tuberculosam excludere licet, diagnosis certa tandem fit. Attamen, etiamsi affectus organorum thoracis demonstrari possit, cum eo fortasse syphilis conjuncta esse possit, ita ut prior ex posteriori manet. Itaque, quod ad diagnosin spectat, nihil certi

dici potest, nisi simul certa signa defunctae syphilidis animadvertuntur. Qua de re et alia symptomata sunt quaerenda; et hic non parvi est momenti, plerumque etiam pharyngis et arcuum palati affectum adesse, qui saepissime aegrotationem laryngis praecedit. Hic saepe observantur oedemata, ulcera aut cicatrices cum propriis illis notis. Jam si ope laryngoscopiae certam imaginem ulcerationum earumque sedes fiximus, si formam, decursum, partes propinquas, si tandem quod ad corpus totum pertinet bene perspeximus, diagnosis syphilidis vix aliquid difficile habeat. Etsi casus incidant, qui admodum rari sunt, ubi ne unum quidem symptoma perfunctae syphilidis primariae, aut perdurantis secundariae inveniri possit, ubi nec tuberculosam pulmonum phthisin, nec aliam affectionum laryngicarum, quorum supra mentionem fecimus, suspicari liceat, attamen brevis antisyphilitica therapia, quae aegroto non damno sit, aut errorem deteget, aut diagnosin certam fuisse demonstrabis.

Prognosis.

Quodsi, priusquam ad therapiam syphilidis laryngicae transeamus, pauca de prognosi dicenda sunt, ex iis, quae diximus, apparet, diagnosin, exceptis gravibus casibus nimis provectae, sibimet ipsi permissae luis re in universum considerata, inprimis si recta therapia instituitur, faustam dicendam esse, idque eo magis, si laryngis affectio solum symptoma est, quum aegrotationes celeriter oriantur et celeriter abeant. Solummodo imminutiones, quas formatio cicatricum serum fert, vel luxuries telae submucosae rem dubiam reddere possunt,

quum orta stenosi periculum adsit, ne aegrotus acido carbonico consumatur. At hic, si celeriter interceditur, tracheotomia, quae satis tempestive adhibita plerumque fausta evenit, letalem exitum prohibet Reapse prognosis infausta fit, si luem alii morbi, ac laryngis, imprimis phthisis tuberculosa pulmonum, et quae sunt generis ejusmodi, quorum jam mentionem fecimus, comitantur. Sed haec non hujus loci sunt, itaque ad gravissimam partem, ad therapiam jam transeamus.

Therapia.

Si in syphiliticis affectibus laryngis alia quoque symptomata universalis in corpore aegrotationis animadvertimus, si in mucosa oris, glossae, faucium nariumque ulcera videmus, porro si in tegumine communi exanthemata syphilitica reperimus, non est dubium, quin universalis therapia antisyphilitica instituenda sit. Hoc solum quaeri potest, utrum sola larynge aegrota, ubi non symptomata aut indurantis aut praeteritae syphilidis apparent, localis therapia sufficiat, an hac omissa, universalis antisyphilitica eligenda, aut combinata instituenda sit, nec ne. Si therapiam localem praescribimus, sine dubio propositum non consequemur, quoniam aegrotationem non idiopathicam esse cognovimus, sed eruptionem infectionis in corpore latentis totalis, quae ut ita dicam, hic exitum quaerit, fortasse quia, quod quidem verisimile est, hic locus minoris resistentiae idividui est, praetermissis mechanicis laesionibus, quas haec pars patitur, quaeque exortui luis in hoc ipso loco favent. Quid enim prodest. morbum hic expelli et etiamsi hoc prospere eveniat, occasionem tamen relinqui, ut serius ocius in

alio loco proveniat. Num aegroto damno erit, therapia universali antisyphilitica causam mali tollere? Bene scio, quae contra haec dicta sunt et adhuc dicuntur, at considerare placeat, quantum prioribus temporibus Hydrargyri et Jodi in organismum sine ullo damno inductum sit. Jam constat, saepius frictionis therapiam ad sanandam syphilidem in eodem individuo institui posse magnamque quantitatem Jodi aut Kalii jodati, etiamsi nihil efficiant, sumi posse sine incommodo valetudinis, quanto magis nostrum officium in tali re ad specifica confugere? In uno casu, ut mihi videtur, universalis therapia non adhibenda est, sed localis in loco est, ubi aegrotatio laryngis non gravissimus exortus syphilidis, sed residuum jam perfunctae et sanatae syphilidis. Hic universalem therapiam instituere non idoneum est, et localis ad tollendum malum sufficiet. At prius bene explorandum, num nobis res sit cum recidivo, quod tamen alia symptomata aegrotationis universalis secum ferat. Supra commemoravimus, in aegrotatione universali corporis cum therapia locali utique universalem conjungendam esse; ubi aegrotationes laryngis leves tantum sunt et aegroto non ita magnam afferunt molestiam, a therapia locali initium faciemus et paulisper exspertabimus, num id quod volumus consequamur et tum universalem adhibebimus. Ubi ex habitu ulcerum, ubi ex anamnesi in syphilidem concludere non poteramus, et localis therapia nihil efficiebat, brevis et specifica therapia adfirmandam diagnosin aegroto nihil damni afferet, ut supra commemoravimus, imprimis si a multis et excellentissimis viris, ut Trusseau commen-

2*

datur, qui hac re constitutionem saepius in melius mutari ait. Sin autem ubi simul aegrotatio universalis est, antisyphiliticam therapiam instituere proposuimus, quod potissimum remedium e multis, quae adversus luem jam data sunt, eligendum sit, de hac re sententiam ferre tironem non docet, tum quaestio hujus fines propositos large egreditur. Denique, utrum unguentum cinereum, an praeparata mercurii, hydrargyrum praecipt. rubr., hoc dijudicare, ut mea fert sententia, medici est, qui simul individui ejusque conditionum rationem habebit. Attamen Ricord, Siegmund, Zeissel, Cohn, alii, imprimis ubi mucosae oris fauciumque laryngis affectae sunt, Kalium jodatum adhibendum suadent, quod datum plerumque prosperum effectum habuisse contendunt, Michaelis non magnopere laudante, qui eo non utitur, nisi, ubi aegrotus mercurium recusat. Itaque Kalium jodatum non remedium ducit sed repagulum, quod morbo, ne nimis progrediatur, opponatur et facile recidiva efficiat. Autores, quos supra nominavimus, Kalium jod. liquidum praescibunt, ut in ipsa aegrota parte applicacatum et quidem contactu majorem habeat vim, usque grana duodecim, usque ad scrupulum vel drachmam dimidiam in unciis duobus liquoris pro die dare solent. Quae ordinatio ex mea quamquam exigua experientia fere semper optimos effectus praebuit.

Siegmund praescribit:

℞ Kali jodat. ℈i
Aq. destil. ℥ii
Syrup. cortic. aurant.
Tinctr. cortic. aurant. $\widehat{a}$ ʒi

qua mixtura amari, injucundique saporis remedium mulieribus et parvulis suavius fit.

Hebra: ℞ Kali jod. ʒiβ
Syrup. cort. aurant. ℥iv

MDS. per diem ter cochlear sumendum, quae mixtura gustum perquam amoenum habet.

In adhibendo Kalio jodato phthisis tuberculosae pulmonum ratio habenda est, quia vi, quam in mucosas exercit, facile haemoptoen adducere potest.

Ruehle, calomel et unguentum cinereum commendat, quorum applicatione adeo inverata mala a se sanata contendit, cujus rei fides apud ipsum sit. Siegmund et Michaelis ei contradicunt, quod haec nimis facile salivationem excitant. Dari solet in dosi refracta, tertia vel dimidia pars grani usque ad granum unum pluries per diem, ubi paullatim ascenditur, imprimis si datur aegrotis, qui ad diarrhoen inclinant, Opium vel Morphium additur. Addo, ut vitetur, quod autores, quos supra nominavimus, contra dixerunt, aegrotum monendum esse saepius atque iterum adstringentibus gargarismatis, bis in hora, os eluere. Etsi concedo, his quidem salivationem non omni ex parte impediri, tamen sine ullo dubio minuitur et differtur. Tum individualitatis aegrotorum et idiosyncrasiae hac in re ratio habenda est. Sublimatum Michaelis „regale“ apellat remedium et prosperos proventus ei tribuit, et in forma pilularum ordinat.

℞ Hydrargyr. bichlorat. corros. gr. i
solve in aq. fervid.
Opii puri gr. ii
Pulv. liquirit. ℈i

Extract. liquirit. q. s. ut fi. pilul.
№ 20.

Nihilo secius in casibus, de quibus agimus, solutio aquosa aptior sit, utpote qua simul mucosae aduruntur.

Non mirandum, quod periculum factum est, Jodum cum hydrargyro conjunctum in therapiam introducere, et experientia docuit, hanc conatum optimos proventus habuisse.

Quod nonnulli contra hoc dixerunt, dijudicari non posse, utrum proventus prosperi hydrargyro an Jodo tribuendi sint, hoc quidem nihil esse dixerim, dummodo, quae velit medicus consequatur, neque intelligo, cur hanc ob causam Jodum ab hydrargyro sejungendum sit, et ad combinatam therapiam confugiendum. In nostro clinico haec formula usitatissima.

℞ Hydrarg. jodat flav. ℈i
Pulv. alth. ℈β
Extract. gramin. q. s. ut f. pil. № 30

Huc additur liquor ad gargarizandum, ad quem nobis postea redeundum erit. Ricord, qui supra dictum remedium etiam atque etiam commendat, praescribit.

℞ Hydrargyr. jod. flav.
Lactucaris ā gr. XXV
Extr. Opii gr. XV
Extr. Cicut. ℈iβ
M. f. pil. № 60

Denique pauca nobis dicenda sunt de therapia vegetabili, priusquam ad therapiam localem transeamus.

Nemo profecto, opinor, ab ea sola specificos proventus sperabit; ea quae haec novissima tempora docuerunt, haec medicamenta oblivioni fere tradiderunt, etsi tempora fuerunt, ubi his solis syphilidi medici mederi volebant.’ Attamen fatuum est his remediis aliisque quae sunt hujus generis, veluti decocta. Zittmanni, Pollinii, speciebus lignorum, omnem vim abrogare velle. Ad augendam efficaciam rationaliter institutae therapiae metallicae certe inprimis in provectioribus luis stadiis maxima erunt utilitate.

Applicationem localium remediorum in omni casu necessariam existimavimus et in hac re sententias sequimur omnium quicunque de syphilide laryngica scripserunt. Ipse Celsus et Galenus jam therapia locali usi sunt, et fere jam noverunt remedia quae hodie praescribuntur. Si autem medicamentorum, quae intus applicantur, satis magnus est numerus, eorum certe, quae extrinsecus applicantur, non minor, ex quibus pro certo fine certa eliguntur, quoniam mox catarrhos inflammationesque tollere, mox infiltrata aut neoplasmata et luxuriae ut absorbeantur efficere, dolorem afferentes particulas mucosae necrosi in loco ipso delere, aut sola molesta symptomata ut tussim, pruritum, dolorem sedare volumus. Primo hic contemplanda sunt diversa gargarismata, ad quae, si solum ut dolorem sedent applicantur, floribus salviae, tiliae, altheae utimur, quibus additur aliquid tinctur. thebaicae. Sin adurentem vim poscimus, eligenda alumen, borax, kali chloricum, acid. tannicum, quibus aliquid Jodi aut Opii additur. Probatum ac eximium gargarisma, quo in hoc nostro clinico uti solemus, hoc est

Rp. Kal. jodat. ʒβ
Opii pur. gr. x
Aq. destil. ℥viii

cui etiam Jodum addere licet.

Rp. Kali jodat. ʒβ
Jodi. pur. gr. i
Aq. destil. ℥xii (Kohn).

Melius quam gargarismata rèmedia adurentia fini respondeant et hic imprimis lapis infernalis, cujus laus maxima est quique reapse non nisi in solutione, quae ut res postulare videtur, fortior aut mitior esse potest, adhiberi debet.

Plerumque ad urendum utimur penicillo laryngico, qua in re speculo laryngico adjuvamur Aut ope volsellae laryngicae, bourdonet, quem vocant, liquore adurente saturatus in cavum laryngis inducitur et aliquoties circumagitur. Praeter nitras argenti saepe kali causticum et acidum chromicum adhibita sunt. Ill. Mosler dare solet:

Acid. chromic. ℈i
Aq. destill. ʒii

Quodnam remedium in quoque casu adhibendum sit, arbitrio medici prudentis permittendum. Si agitur contra hyperaemiam mucosarum, imprimis ergo initio morbi, turgorem saepe applicatione hirudinum, cucurbitularum, aut frigidorum cataplasmatum conprimere contingit, quo plerumque symptomata conjuncta, ut tussis, titillatio impedimenta in actione deglutiendi, impedita locutio tolluntur Denique pauca dicemus de tracheotomia, quae

adhibenda est, ubi periculum, ne aegroti oriente oedemate suffocatione pereant.

Si medicus, ubi tracheotomia indicata est, satis mature adest, priusquam acidum carbonicum nimis cumuletur, haec operatio fructuosissima chirurgiae. Statim aegrotum liberat a periculosis symptomatis, de quibus supra prolixius diximus, eique vitam servat. Eam explicare non nostrum est, sed chirurgiae. Ubi post factam operationem respiratio non rediit, artificialis noto modo facienda est, et praeterea nervos phrenicos irritare perutile. Et si vita omnino non exstincta est, aegrotus reviviscet, quod multis documentis, quae literarum historia continet, firmare possumus, medicique ergo est, ubi periculum suffocationis, tracheam aperire, etiamsi vita jam e corpore decessisse videatur, et in re fere desperata saepenumero prosper eventus operae respondebit.

Historia morbi.

Robertus, P., adolescentulus septemdecim annos natus, narrat se morbis, quos infantes habere solent, perfunctum esse et octavo anno vitae intermittente febri laborasse, quae circiter novem menses perduraverit. Praeter hos numquam morbo tentatum esse, et parentes adhuc vivos bona quidem esse valetudine, attamen trachelo saepe laborasse itemque germanos. Mense Julio h a. se raucum factum esse. Quum professione vitriarius sit, quotidie rus ire cogitur omnibusque tempestatium vicissitudinibus se exponere. Initio raucitas levis tantum erat et mediocribus doloribus, quos inter tussim et in actione

deglutiendi sentiebat, conjuncta. Evomendi, ut ipse dicit, magnam habebat cupiditatem, at secretum non multum erat, neque in eo aliena corpora ut sanguinem et pus et alia observavit. Interea, quum refrictionem contractam causam raucitatis esse opinaretur, ut reficeret valetudinem, ad varia remedia domestica confugit et diaphoretica et vesicatoria. Paullatim ad crescentem et fere in aphoniam transeuntem raucitatem sensum accessisse alieni corporis, quod in trachelo habere sibi visus sit et frustra evomendo emovere studuerit; quum tamen malum ejusmodi fuisset, ut reliquas corporis functiones non magnopere perturbaret, se officia conditionis suae ut antea executum esse, donec dolores adeo aucti sint, ut hoc amplius praestare non posset. Itaque exeunte septembr. in nostrum clinicum venit, auxilium petens; inspectione et physicali et laryngoscopica haec inveni:

St. pr. Aegrotus pro aetate non tam excultus quam a normaliter explicato corpore expectes; statura gracili, musculi tenues sunt cutisque exterior aliquid anaemici habet itemque mucosae conjunctivae labiorumque. Percussione nullam mutationem observavi, respiratio quoque normalis, sonitus venarum non audiebatur. Auscultatio cordis praeter debilem impulsum nullam aliam anomaliam praebebat. Lien solito majus, ut percussione cognitum est, in longitudinem et latitudinem creverat et longum quidem erat 7 c. lineam axillarem circiter 3 c. superabat. Genitalia inspiciens, quae pro aetate aegroti parum exculta sunt, unum tantum testiculum reperi, sinistrum quidem et hic quoque parvus nec satis explicatus erat et ne omni quidem ex parte in scrotum descende-

rat. Hernia inguinalis, quam primo suspicabar, non aderat ut acriori inspectione cognitum est. In pene, qui levem phimosin ostendit, ne minimum quidem vestigium perfunctorum ulcerum cernitur et prius quaerendum, num aegrotus, qui quamvis monitus, ut verum diceret, hoc denegavit, coitum omnino exsecutus sit aut exsequi possit, quod quidem probabile est, imprimis si ad inculta genitalia respicis. Tumor et induratio glandularum in trachelo observatur et in dextra parte magis, quam in sinistra. Glandulae regionis inguinalis tumebant, in cavo axillari et in articulatione cubiti hoc animadvertere non potui. Magnae mutationes in cavo oris fauciumque ope laryngoscopiae inspecto cernebantur, quibus solis cum reliqua observata minoris essent momenti, diagnosis certa pronunciari potuit.

Palatum molle materia crassa tectum, et vasculosissimum est sordideque rubrum paullisper lividum colorem habet. Uvula magnis ulcerationibus et in dextra quidem parte dimidia fere deleta est, et ad palatum molle attracta. Mollis quoque palati magna pars, imprimis quae uvulam circumdat, maximeque in dextra et posteriori regione ulceribus deleta est. Ope speculi laryngici aditum laryngis inspicere licet, qui similiter et magis etiam colorem illum, quem supra descripsimus, habet, et prope superiorem et dextram chordam vocalem tuber crassum longitudinale magnitudine formaque tonsillae animadvertitur. In medio rimam habet et hic quoque ulcerationes observantur. Alterum tuber, etiamsi non tam magnum sinistra chorda vocalis ostendit, quia ulcerationis processus hic non tantum progressus est, quam in dextra parte.

Denique quod ad formam et ad speciem ulcerum attinet, non magnopere ab aliis differunt ulceribus.

Haec quidem ulcera denticulatam tamquam arrosam praebebant speciem, non admodum alte descenderant, marginesque denticulatos et paulisper elevatos habebant; integumentum eorum sordidum et cinereum aut viridem colorem ostendebat, quod detergando amoveri non poterat partesque propinquae colorem illum supra descriptum exquisitissime quidem praebebant. Licet in toto corpore adjumenta certae diagnosis non sufficerent, anamnesis quoque parum certi afferret, tamen ad mutationes, quas in larynge et pharynge observaveramus, respicientes in syphilidem concludere cogebamur. Utrum hereditaria, an acquisita, dijudicari non poterat. Ex hoc therapia instituta est. Et etiam confitendum est, effectus in processu, qui tam altas fixerat radices et in individuo adeo debilitato non tales fuisse, quales aliter mercurium aut jodum sequi solent, tamen non omni ex parte desiderabantur, etiamsi aliquot intercedebant.

Aegrotus monitus est, ne quaestus causa foras iret, sed domi se teneret bonaque et copiosa alimenta sumeret. Datum ei est Kalium jodatum secundum hanc formulam.

Rp. Kal. jodat. ʒβ.
Jod. pur. grv.
Aq. destil. ℥viii.
DS. Gargarisma.

Praeterea accepit intus pilulas hydrarg. bichl. corros. bis pro die decimam quartam partem grani.

Aliquot diebus post aegrotus se praesentavit.

Larynx ope speculi inspecta est, tamen nullae mutationes observabantur. Jam accepit:

Rp. hydrarg. bichlor. corros. gr. iβ.
Tinct. opii simpl. Ji.
Ap. destil. ℥vii.
DS. Gargarisma.

Hoc remedium per quatuor septimanas adhibitum prospera rerum mutatio secuta est, raucitas imminuta est, hanc quoque inquisitio laryngoscopica comprobavit. Ulcera sanari coepta sunt et satis bonas granulationes formant, imprimis oblita Argento nitr. (Gr. X. in ℥i). Meliori ac uberiori enutriore habitus quoque externus aegroti melior factus est. Datum est ei postea Kalium jodat. et Hydrg., quorum usu etiamsi non defectuum, tamen vocis valetudinisque restitutionem satis bonam sperare licet.

VITA.

Natus sum Bertholdus Guilelmus Körner die XIX mens. Februar. a. h. s. XL in vico Unterpeissen, qui est prope A. Bernburg situs, patre Guilelmo, quem his novissimis diebus praematuro ac amaro fato ereptum lugeo pioque semper venerabor memoria, matre Amalia e gente Koetz. Fidem profiteor evangelicam. Primordia literarum a patre edoctus, duodecimo vitae anno scholam latinam Halensem petii, quam novem annis post testimonium maturitatis adeptus egressus sum mens. April LXII. In illius almae universitatis civitatem receptus apud Hupfeld beatum, theologorum ordinis decanum spectabilissimum nomen professus et per tria semestria in theologiae studio versatus sum. Qua omissa a Leo spect. in ordinem medicorum inscriptus sum. Mense April. a. LXIV ad almam universitatem Gryphicam me contuli, et ab Ill. Bardeleben tum fasces academicas tenente adscriptus nomen apud Ill. Pernice medicorum ordinis Decanum spectabilissimum professus sum.

Per septem semestria audivi disserentes:

Halae Saxonum:

Ill. Vogel: de Encyclopaedia et methodologia.
Ill. Knoblauch: de Physice experimentali.

Exp. Schweigger-Seidel: de Osteologia et syndesmologia.

Ill. Volkmann: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia, de anatomia et physiologia sensuum; idem mihi dux fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi.

Ill. Heintz: de chemia anorganica.

Gryphiae:

Ill. Limpricht: de chemia anorganica, organica, physiologica, idem mihi dux fuit in exercitationibus chemicis.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia, de anatomia et physiologia organorum sensuum de physiologia experimentali, idem mihi dux fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi nec non physiologicis.

Ill. Schultze: de anatomia comparata.

Exp. Landois: de embryologia.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica et generali et speciali, idem mihi dux fuit in exercitationibus pathologicis.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia: idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis, in cadaveribus instituendis nec non in clinico chirurgico et opthalmiatrico.

Ill Mosler: de pathologia et therapia speciali, de morbis renum, de psychiatria, de auscultatione et percussione. Idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae, idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. Heineke: de syphilide et morbis cutis, de anatomia topographica.

Exp. Krabler: de auscultatione et percussione, de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice, idem mihi dux fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis et ophthalmiatricis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi.

Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas atque semper gratum animum conservabo.